

principium, unde sumatur illa diversitas specifica.

XXVIII. Quod vero ex parte subjecti non repugnet istud augmentum fieri in infinitum probatur, quia subjectum respicit gratiam secundum potentiam obedientialem; potentia autem obedientialis creaturæ, licet sit finita entitative categorematice, et in actu, est tamen infinita syncategorematicæ, quia est potentia ad obediendum infinitæ potentia creatoris: omnis autem potentia passiva commensuratur activæ, unde si potentia activa est infinita, oportet, quod potentia illi obediens in quantum talis, sit obediens infinite syncategorematicæ; alias non dabitur potentia obedientialis ad infinitam potentiam, si solum posset moveri ad illam usque ad finitum terminum, etiam syncategorematicæ. Unde S. Thomas quæst. XXIX de veritate, articulo III ad tertium, loquens de ista capacitate creaturæ ad gratiam inquit: « Quod potentia obedientiæ secundum quod potest recipere aliquid a Deo, non impletur, quia quidquid Deus de creatura faciat, adhuc remanet in potentia ad recipiendum ab eo, » et similia dicit 2-2, quæst. XXIV citata; ergo dicendum est, quod non repugnat gratiam Christi augeri intensive de potentia absoluta.

XXIX. A posteriori autem possunt plura fieri argumenta, quæ ad longum prosequi non possumus, verbi gratia, quod non repugnat Verbum dimittere humanitatem sine hoc quod diminuat aliquid de gratia habituali, quam modo habet, et tunc illa gratia posset crescere, quia jam non habet pro fine conjunctionem personalem ad Deum, ratione cujus sumit S. Thomas terminum istius gratiæ ad non crescendum. Similiter visio animæ Christi potest crescere, et videre alias creaturas, quas modo non videret ex possibilibus, si

voluisset pro illis dirigere merita sua, ut daretur gratia, et redemptio: ergo simpliciter potest crescere in gratia, sicut et in beatitudine.

XXX. Denique, quia anima Christi ex eo, quod sit conjuncta Verbo non habet majorem capacitatem obedientialem, quam extra Verbum; ergo si in anima non conjuncta Verbo potest crescere gratia in infinitum syncategorematicæ, etiam in ipsa, ut conjuncta Verbo poterit crescere; sicut si sine visione beatifica in homine viatore potest crescere gratia in infinitum syncategorematicæ, ut docet S. Thomas loco citato secundæ secundæ, etiam convincitur, quod de potentia absoluta potest crescere gratia, adhuc visione beatifica; ergo similiter posita conjunctione ad Verbum.

XXXI. Bene video responderi posse pro opposita sententia, quod gratia tam conjuncta Verbo, quam extra illud, habet certum terminum, nec potest ultra crescere; et idem erit de gratia etiamsi non sit conjuncta visioni beatificæ, licet secundum connaturalem modum dandi gratiam semper gratia viatoris possit crescere, nec ponatur illi terminus crescendi sicut nec merendi, quousque ponatur extra viam in patria: et similiter visio beata Christi non poterit crescere in Christo ad videndum plures creaturas posibles, quam videt modo, licet possit alias, atque alias ex istis possibilibus videre scientia visionis, si pro illis vellet offerre suam redemptionem, et de facto illis dare gratiam; et tamen cum hoc posset salvari, quod visio beatifica, et gratia crescerent in infinitum syncategorematicæ, eo modo, quo dicunt auctores oppositi formas naturales posse crescere magis ac magis, non obstante quod habent terminum intrinsecum, quia si crescit ex una parte, remittit ex

alia. Sicut si daretur ignis maximus, et applicaretur stупpa, combureret illam, sed deperderetur ex alia parte tantum de igne, quantum consumeret de stупpa; et sic salvant, quod omnes formæ habent terminum intrinsecum, et tamen possunt syncategorematicæ crescere in infinitum divisive, non collective. Et similiter posset Christus alias creaturas, atque alias, quas modo non videt, videre, sed tunc deberet relinquere alias ex his, quas videt. Sic respondent in hac sententia, quod quidem difficile impugnatur, si quis mordicus ita assereret.

XXXII. Sed tamen res ipsa plena est inconvenientibus; tum, quia hoc est simpliciter denegare augmentum infinitum syncategorematicæ, in quibuscumque formis, sicut in physica expendimus quæstione octava, tractando de termino rerum non viventium, quæ possunt crescere in infinitum, quantum est ex se; tum, quia jam in hoc disceditur a sententia, et ratione S. Thomæ, qui solum negat gratiam Christi posse crescere, quia est conjuncta divinæ Personæ, non quia in se habeat terminum intrinsecum, etiamsi non sit conjuncta unioni hypostaticæ, vel visioni divinæ.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXXIII. Ex his non erit difficile respondere ad rationes, et fundamenta oppositæ sententiæ. Ad primum locum S. Thomæ respondetur, quod quando sanctus doctor dicit mensuram gratiæ debere sumi per ordinem ad suum finem, qui finis est unio naturalis creaturæ rationalis ad Deum, et hæc est maxima in Christo, loquitur ibi de fine extrinseco, supponendo tamen definitionem, et mensuram divinæ sapien-

tiæ, quæ immediate, et proxime mensurat gratiam, ut ipse se explicat solutione ad secundum. Itaque gratia conjuncta unioni personali, propter summam dignitatem, et moralitatem, quam ex ista conjunctione participat, etiam petit secundum connaturalem ordinem talis gratiæ habere maximam intensionem pro illo ordine, in quo producitur, quod est connaturaliter debere esse summam, id est, supremam hoc ipso, quod conjungitur unioni personali, quia connaturaliter petit habere rationem capitis super alios in genere gratiæ, et hoc est esse summam secundum definitionem divinæ sapientiæ, quæ omnibus formis connaturales terminos præfixit juxta connaturalem ordinem, in quo eas condidit. Et sic connaturaliter gratia Christi petit, quod omnes aliæ gratiæ in illo ordine in quo producuntur, sint illi inferiores, et subjectæ, non tamen ex hoc tollitur, quod possit in alio ordine, et statu rerum produci alia gratia sublimior in ipso Christo, vel etiam præter connaturalam ordinem poni intensior aliquis gradus in alia pura creatura.

XXXIV. Et quando dicitur, quod si illa gratia cresceret, faceret magis unitum Deo distinguo; faceret magis unitum accidentaliter, et participative, concedo; magis unitum substantialiter, et simpliciter, et secundum habitudinem ad istam substantialem unionem, nego. In hac enim habitudine non potest intelligi major unio, sed iste est respectus ad finem extrinsecum.

XXXV. Ad secundum locum ex tertio sententiarum respondetur loqui sanctum doctorem de capacitate Christi impleta secundum modum connaturalem ipsi gratiæ, et ordinem definitum illi a divina sapientia pro hoc statu, ut ex solutione ad secundum in hoc articulo tertio colligitur: sic enim totaliter imple-

ta fuit. Si autem sumatur capacitas obedientialis, non connaturali modo tantum, et secundum definitionem divinæ sapientiæ; sed absolute, prout respicit præcise omnipotentiam infinitam, sic non fuit, nec potuit implere, sed potest crescere in infinitum syncategorematicè, ut ex S. Thoma quæstione secunda de veritate diximus. Et ita notanter dixit S. Thomas in loco adducto in argumento: « Quod potentialitas capacitatis est impleta ex fine implente secundum connaturalem ordinem, et definitionem divinæ sapientiæ, » non secundum absolutam rationem omnipotentiam infinitam.

XXXVI. Ad locum ex tertio sententiarum ad Annibaldum, et ad similia verba, quæ habet S. Thomas in alio loco ex tertio sententiarum, distinct. XIII, quæst. I, art. II, quæstiunc. III ad primum, et in opusculo II, cap. CXXV, in iis oportet inspicere ejus verba, sic enim inquit: « Quod objicitur, quod omni finito potest fieri additio, quod loquendo de finito mathematicè, id est, secundum imaginationem, verum est, sed loquendo naturaliter, verum non est, nam omnium natura constantium terminus est, et ratio magnitudinis, et augmenti, et ideo gratia Christi augeri non potuit, quia tanta fuit ejus capacitas, ultra quam augmentum esse non potuit, remanente natura humana, seu natura creata, et Deus non potest facere aliquam capacitatem increatam. » Ita S. Thomas. In quibus verbis duplicem rationem insinuat, ob quam negat posse crescere gratiam in Christo. Primam in prioribus verbis, in qua tangit augmentum secundum intensionem, et de hoc solum negat posse crescere connaturali modo, ut patet in illis verbis: Sed loquendo naturaliter, verum non est, omnium enim, etc.

XXXVII. Secundam rationem assignat in posterioribus verbis, non loquendo de augmento intensivo gratiæ, et quasi intrinseco, sed respectivo, et extrinseco, seu per ordinem ad unionem personalem, in quo non potest crescere secundum capacitatem creatam. Et moveor ad hanc intelligentiam S. Thomæ duplici de causa. Primo, quia in alio loco ex tertio sententiarum adhibens similem responsionem argumento, apponit illam tamquam distinctam, dicens: « Vel dicendum, quod licet quantum est ex se posset facere majorem gratiam, quantum ad essentiam, quam sit Christi, tamen nulla major posset esse cujus capacitas creata sit capax. » In tertio autem ad Annibaldum brevitati studens, quasi utramque rationem conjunxit in unam, sed ad diversa respiciens, in primis verbis tangens augmentum intensivum, in posterioribus infinitatem relativam in ordine ad suppositum.

XXXVIII. Moveor secundo, quia ita seipsum explicat, tum hic art. XII ad secundum; tum infra quæst. X, art. IV ad tertium, dum inquit: « Quod id quod dictum est de gratia, quod non potest esse major, quam gratia Christi, dictum est de gratia per respectum ad unionem Verbi, licet possit dari sublimior gradus secundum infinitatem potentiam divinæ. » Quid ergo aliis explicationibus indigemus. Ad alia loca, quibus indicat S. Thomas non potuisse dari majorem gratiam, quam Christi, vel loquitur de gratia secundum respectum ad Personam Verbi, vel secundum connaturalem statum, et modum a divina sapientia prædefinitum, non per ordinem ad potentiam Dei absolutam.

XXXIX. Ad primam rationem respondetur, quod quando S. Thomas ait art. XI: « Gratiam Christi habere quidquid pertinet ad rationem gra-

tiæ, » intelligitur, quod habet quidquid pertinet ad rationem gratiæ secundum augmentum extensivum simpliciter; et similiter secundum respectum ad unionem substantialem cum Deo: at vero secundum augmentum intensivum habet quidquid pertinet ad rationem gratiæ secundum definitionem divinæ sapientiæ, et connaturalem modum, quem petit in hoc statu. Ubi notanda sunt verba S. Thomæ in eodem articulo in corpore, ubi inquit: « Gratia Christi potest dici infinita eo quod non limitatur, quia scilicet habet quidquid pertinere potest ad rationem gratiæ, et non datur esse secundum aliquam certam mensuram, eo quod secundum propositum Dei, cujus est gratiam mensurare, gratia confertur, » ubi aperte patet gratiam non dici a S. Thoma infinitam absolute, sed juxta propositum, et definitionem Dei, qui mensuravit illam, licet absolute protuerit majorem dare.

XL. Ad probationem consequentiæ, cum dicitur, quod si non habet gratia Christi illud augmentum possibile, non habet quidquid pertinet ad rationem gratiæ, distingo; quantum ad omnem modum intensionis possibilem, verum est; quantum ad omnem modum sibi connaturalem, et proportionatum, ac debitum pro isto ordine rerum, nego. Et similiter quantum ad omnes effectus ad quos potest se extendere gratia, licet non quantum ad omnem modum talium effectuum.

XLI. Ad secundam rationem respondetur, omne augmentum fieri debere per ordinem ad aliquem finem, sed in gratia duplicem finem considerari: alterum intrinsecum, scilicet unio ad Deum participata, et accidentaliter; et tunc finis non est determinatus in ordine ad potentiam absolutam, quia potest infinitis modis fieri talis participa-

tio, et unio ad Deum: alter finis est extrinsecus, scilicet unio substantialis, ratione cujus connaturaliter petit dari sibi summam gratiam, non absolute, et in ordine ad potentiam divinam absolutam, sed comparative ad omnem aliam gratiam, quæ in tali rerum ordine datur secundum definitionem divinæ sapientiæ. Et ita fatemur datam fuisse gratiam proportionatam, et dabit ipsi unioni personali secundum definitionem sapientiæ divinæ, non secundum omnem potentiam absolutam Dei. Quæ est solutio S. Thomæ sæpius repetita.

XLII. Et quando additur, quod est possibilis summus gradus gratiæ determinatus, sicut in formis naturalibus, respondetur quod in formis naturalibus est possibilis summus gradus secundum connaturalem statum talis formæ, quæ commensuratur ad subjectum, cujus propria passio est: « Quia omnium natura constantium terminus est, et ratio magnitudinis, » ut ait philosophus; non tamen secundum statum potentiam absolutam Dei: hic enim non est terminus natura constantium, sed ultra omnem naturam. Et est specialis ratio in gratia, et charitate, quia sunt immediatæ participationes ipsius Dei, qui est forma infinita, ideoque de se petunt non habere terminum syncategorematicè in sua participatione, quod non currit in formis naturalibus.

XLIII. Ad tertium negatur capacitatem obedientialem Christi fuisse impletam respectu absolutæ potentiam Dei, ut expresse dicit S. Thomas quæst. XXIX de veritate citata, fuisse tamen impletam respectu finis præfixi a definitione divinæ sapientiæ. Et sic intelligitur S. Thomas locis allegatis in argumento. Et fuit etiam simpliciter impleta quantum ad infinitatem moralitatis, seu in esse gratiæ per ordinem ad Personam

divinam. Et ad probationem dicitur, quod potentia obedientialis est finita entitative, et categorematice; infinita autem obedientialiter, et syncategorematiche, quia obedit, et subicitur infinitæ potentia, quæ secundum suam virtutem infinitam potest operari in creatura non tot, quin plura.

XLIV. Sed adhuc objicit Lorca: Quia si in Christo non fuit summa gratia determinate, et positive, non est cur dicamus per opera Christi meritoria non potuisse crescere ejus gratiam; si enim erat possibile hoc augmentum et Christus Dominus operabatur opera digna illo, cur privabatur tali augmento?

XLV. Respondetur, quod in quantumque majori gratia poneretur Christus, semper poterat idem argumentum fieri, quia potest syncategorematiche in infinitum crescere, et semper possum inquirere, quare non datur Christo major gratia, si illa est possibilis. Unde oportet tandem recurrere ad aliquam determinationem, et definitionem datam a divina sapientia. Quare dicemus, quod gratia Christi erat in termino, nec poterat crescere juxta connaturalem statum determinatum a sapientia divina; tum, quia erat comprehensor a primo instanti suæ conceptionis, et pro hac parte non poterat crescere gratia; tum, quia erat unita summo termino unionis substantialis. Quando autem gratia est in termino, etiamsi multa opera bona faciat, non crescit, nec meretur ejus augmentum, ut patet in beatis, et in animabus purgatorii, quæ quantum ad hoc sunt extra statum viæ; meritum autem solum datur in viatoribus. Et Christus licet esset viator, tamen in ordine ad consummationem, et terminationem gratiæ erat comprehensor, et ideo in gratia crescere non poterat per meritum; bene tamen poterat crescere in or-

dine ad alia extrinsece, quæ merebatur, sicut gloriam corporis, nominis exaltationem, etc.

ARTICULUS II.

Quomodo gratia Christi possit dici infinita, et plena.

I. Juxta ea, quæ diximus in initio articuli præcedentis de quadruplici infinitate, scilicet in quidditate, in qualitate, in relatione, philosophandum est in explicando infinitatem gratiæ Christi. Et supponimus cum S. Thoma, infinitum in entitate non dari, absolute loquendo, quia entitas gratiæ finita est in genere entis; an vero possit dici gratia ipsa infinita intra suum genus gratiæ, quæ est infinitas secundum quid, ex dictis præcedenti articulo decidi potest; sic enim frequenter loquitur S. Thomas, ut in hac quæstione, art. xi, et opusculo ii, cap. ccxv, ubi variis exemplis explicat hujusmodi infinitatem secundum quid.

II. Primo quidem: Quia habet ex parte ipsius formæ quidquid ad rationem gratiæ pertinere potest, sicut lux in sole potest dici infinita, et calor in igne, quia habent quidquid ad rationem lucis, vel caloris pertinere potest. Quod in prædicto opusculo sic explicat S. Thomas: « Quoniam si esset albedo, vel calor separatus, et si haberet finitam essentiam, haberet tamen totam plenitudinem illius: quando autem recipitur in subjecto non habet de necessitate, et semper totum quod pertinet ad rationem hujus formæ, sed solum quando sic habetur, sicut perfecte haberi potest, ita quod modus habendi adæquet rei habitæ potestatem. »

III. Secundo, explicita S. Thomas ibidem hanc infinitatem ex parte

recipientis, quia scilicet: « Et si ipsa capacitas recipientis sit finita, tamen quando alicui non tantum datur de bonitate divina, quanta est capacitas naturalis suæ speciei. videtur esse donatum secundum aliquam mensuram, seu restrictionem ex parte ipsius dantis: cum vero tota naturalis capacitas impletur, non videtur esse secundum mensuram donatum, quia etsi sit mensura ex parte dantis, qui plus daret, si plus posset recipere; et sic gratia Christi infinite, et non secundum mensuram dari dicitur, quia tantum datur, quantum natura creata capax est. »

IV. Ex quo patet, quod infinitas in hac acceptione nihil aliud est, quam plenitudo, quia scilicet datur tota forma, seu talitas formæ, et impletur tota capacitas recipientis; hoc autem semper intelligendum est juxta doctrinam articuli præcedentis, quod fit secundum connaturalem modum talis formæ, id est, secundum ordinem præfixum divinæ sapientiæ, quæ modum connaturalem gratiæ dat, eo quod gratia est immediata participatio divinæ naturæ, non in ordine ad potentiam absolutam Dei, ut explicatum est articulo præcedenti.

V. Sed dices: Ergo non differt modus plenitudinis gratiæ in Christo, a modo plenitudinis in aliis sanctis, qui in Scriptura dicuntur pleni gratia, quod est contra S. Thomam in articulo decimo. Nam alii sancti dicuntur pleni gratia respectu alicujus conditionis ex parte subjecti, seu officii ad quod assumuntur, juxta quod accipiunt plenam, et intensam gratiam secundum terminum præfixum a Deo, ut S. Thomas dicit hic articulo undecimo. Sed similiter Christus habet plenitudinem gratiæ, non ex parte ipsius formæ, quia hæc major esse potuit de potentia abso-

luta, sed ex parte dispensationis divinæ, quia sic mensuravit Deus juxta definitionem suæ sapientiæ, et secundum quod congruebat ipsi unioni: ergo non habuit Christus plenitudinem gratiæ ex parte ipsius formæ, sed ratione conditionis subjecti.

VI. Respondetur plenitudinem gratiæ in Christo, ut dicit S. Thomas, esse plenitudinem ex parte ipsius formæ, et non solum ex parte subjecti, quia habet gratiam in summa excellentia, qua haberi potest, et in maxima extensione ad omnes effectus gratiæ, ubi excluditur explicatio Vazquez hic disput. XLVI, cap. ii, qui plenitudinem gratiæ Christi solum explicat per hoc, quod habuit gratiam unionis, et infinitam dignitatem operum: cum tamen S. Thomas in intensione, et extensione ipsius formæ, quæ est gratia, illam ponat.

VII. Et quidem de extensione ipsius formæ constat esse summam, quia potest causare omnes effectus gratiæ, quatenus: *De plenitudine ejus omnes accepimus*, quæ plenitudo nulli gratiæ alterius sancti convenit. De intentione vero dicitur, quod habet summam, non in ordine ad potentiam absolutam Dei, sed in ordine ad connaturalem statum gratiæ, in hoc ordine rerum, quia hoc ipso quod est conjuncta Personæ divinæ petit connaturaliter esse summam in ordine rerum, quo producit; sed quia possunt produci a Deo diversi ordines rerum, ideo respectu omnipotentia Dei non est terminus aliquis in augmento ipsius gratiæ.

VIII. Quod si instes: Quia connaturalis modus gratiæ pertinet ad absolutam potentiam Dei, quia educitur de potentia obedientiali, et ita operatur juxta modum supernaturalem, qui est modus operandi de potentia absoluta; ergo idem est esse